Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38301
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek



Addendo ergo & dicendo · sed oculos mentis · ab omni genere
corporis alienauit huius mundi uisionem · Nequis autem
putaret eum tantum de praesenti tempore locutum · subiecit & iam
dominum testimonium · uolens ostendere · quos dixerat oculos mentis ·
Quo testimonio non praesentis · sed futurae uisionis promissio decla
ratur · Beati mundo corde · quoniam ipsi dominum uidebunt · Beatissimus
quoque athanasius alexandrinus episcopus · cum ageret · aduersus
arrianos qui tantummodo dominum patrem inuisibilem dicunt ·
filium uero & spiritum sanctum uisibiles putant aequalem trinitatis
inuisibilitatem · scripturarum sanctarum testimoniis & diligentiae
suae disputationis asseruit · instantissime suadens dominum non esse
uisum · nisi ad sumtione creaturae · secundum deitatis autem
suae proprietatem · omnino dominum esse inuisibilem · id est patrem
& filium & spiritum sanctum · nisi quantum mente ac spiritu nosci potest ·
Gregorius & iam sanctus episcopus orientalis · apertissime dicit dominum naturam
inuisibilem quando patribus uisus est · sicut moysi cum quo facie
ad faciem loquebatur · Alicuius conspicabilis materiae disposi
tione ad sumta · salua sua inuisibilitate uidere potuisse · hoc est
quod & iam noster dicit ambrosius · patrem & filium & spiritum sanctum ·
ea specie uidere quam uoluntas elegerit non natura formauerit ·
ut & illud uerum sit · quod dominum nemo uidit umquam · Quae uox ipsius
domini xpi est · Et quem nemo hominum uidit · nec uidere potest ·
Quae uox apostoli · immo eius per apostolum xpi est · Et illa non
repudientur testimonia · scripturarum · quibus dominus uisus
esse narratur · Quia & inuisibilis est per propriam deitatis
naturam · & cum uult uideri potest per ad sumtam sicut placuerit
creaturam · Porro si naturae ipsius est inuisibilitas sicut
incorruptibilitas · non mutabitur utique in futuro saeculo
illa natura ut dem uisibili uisibilis fiat · quia neque poterit
de incorruptibili · corruptibilis fieri · Simul enim & incommu:
: tabilis est ·